



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Clypeus Theologiæ Thomisticæ

In Tres Partes Divisus, Et Quinque Voluminibus Comprehensus
Tractatus de Prædestinatione, de Trinitate, de Angelis, & de homine

Gonet, Jean-Baptiste

Coloniæ Agrippinæ, 1671

§. I. Quibusdam præmissis conclusio affirmativa statuitur,

[urn:nbn:de:hbz:466:1-77146](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-77146)

gratiae sanctificanti, & totam ejus sanctitatem A in templo, ut docet Augustinus Epist. 57. ubi ait illi ad templum Dei non pertinent, qui cognoscunt Deum, non sicut Deum glorificant.

Objicies secundò : Personæ divinæ habent
27 specialem præsentiam in creatura rationali, independentem à gratia & charitate : Ergo missio invisibilis illarum fit non solum per gratiam & charitatem, sed etiam per alia dona ab illis separabilia. Consequentia patet ex supra dictis, Antecedens probatur, Spiritus Sanctus fit speciali modo præsens animæ, cum per auxilium gratiæ illam movet ad actum attritionis supernaturalis, quam donum Dei esse, & Spiritus Sancti impulsam, docet Sacrosancta Synodus Tridentina
B sel. 4. cap. 4. Item Summo Pontifici, vel Concilio generali, res fidei definitivas, datur specialis quædam Spiritus Sancti assistentia & præsentia, ne in hujusmodi definitionibus errare possint, ut docetur in Tractatu de fide ; & tamen tunc non fit nova gratiæ & charitatis infusio. Denique per fidem, & per dilectionem Dei naturalem, Deus fit præsens animæ, ut cognitum in cognoscente, & amatum in amante : Sed hanc solum præsentiam habent personæ divinæ in anima per missionem invisibilem, ut docet D. Thomas hic art. 3. Ergo independentem à gratia & charitate personæ divinæ specialem præsentiam, & existentiam habent in nobis.

28 Respondeo quod licet personæ divinæ, independentem à gratia & charitate, specialem quandam præsentiam in creatura rationali habere possint, non tamen illam, quæ ad veram & propriè dictam missionem requiritur. Nam vera & propriè dicta missio requirit præsentiam specialem, quæ fit per modum mansionis & inhabitationis in anima, ut patet ex illo Joan. 14. Si quis diligit me, diligitur à Patre meo, & ad eum venimus, & mansionem apud eum faciemus : hæc autem præsentia & inhabitatio non fit nisi per gratiam sanctificantem ; per auxilium enim quò Spiritus Sanctus animam ad actum attritionis movet, nondum illum inhabitat, sed tantum ad ostium cordis pulsatur, juxta illud Apocal. 3. Ecce sto ad ostium, & pulso : unde Tridentinum loco citato loquens de contritione illa imperfecta, quæ attritio appellatur, dicit illum esse Spiritus Sancti impulsam, non adhuc quidem inhabitantis, sed tantum moventis. Idem dicendum est de speciali illa Spiritus Sancti assistentia, quæ datur Summo Pontifici, aut Concilio generali, ad res fidei definiendas ; per illam enim Spiritus Sanctus non inhabitat animam, sed tantum intellectum movet, instruit, ac dirigit, ne in veritatis cognitione aberrerit : unde talis præsentia specialem missionem non requirit, sed pertinet ad generalem Dei præsentiam, quæ Deus est in rebus per operationem.

Cum autem aliquis fidei informis & dilectionis naturalis actus elicit, habet quidem Deum præsentem in anima, ut cognitum in cognoscente, & amatum in amante, sed non cognitione & amore ex perfecta amicitia procedentibus, de quibus solum in præsentiloquitur D. Thomas, dum docet per missionem invisibilem, Deum fieri præsentem animæ, ut cognitum in cognoscente, & amatum in amante, ut infra patebit. Adde quod, ad veram & propriè dictam missionem, requiritur quòd Deus in anima tanquam in templo suo inhabitet, ut patet ex supra dictis : per fidem autem informem, aut dilectionem naturalem, Deus non habitat in anima tanquam

§. III.

Corollarium notatu dignum.

EX dictis colliges, triplicem dari in homine invisibilem divinarum personarum missionem. Prima fit in Baptismo, vel in prima peccatoris justificatione : tunc enim personæ divinæ incipiunt speciali modo præsentem esse in anima, per gratiam mundata & sanctificata, & in ea ut in templo suo habitare.

Secunda fit quando homo justificatus novum gratiæ augmentum acquirit, seu cum de novo proficit in gratia ; sive intensive, perfectiores actus charitatis eliciendo ; sive extensive, dum ad novum aliquod munus aut statum excellentem assumitur, puta cum in Sacerdotem vel Episcopum consecratur, vel cum omnino renuntiat, & religiosus efficitur, ut docet D. Thomas hic art. 6, ad 2. tunc enim Deus in illo, tanquam in templo suo, modo aliquo specialissimo incipit habitare, ut eleganter declarat D. Bernardus Serm. 6. de Dedicacione, in quo fratres suos alloquens, sic ait : *Domestica nobis celebrata ; dedicatio domus nostra ; magis autem domestica vestra ipsorum dedicatio : vestra si quidem illa aspersio, vestra illa benedictio, vestra consecratio fuit, quæ per manus Sacerdotum celebrata Pontificum, etiam hodie amplexum redditu votivè laudibus ad memoriam revocatur.*

Tertia denique missio est illa quæ fit in Beatitudine in ipso beatitudinis principio, in quo Deus incipit esse novo modo in anima, per unionem essentia suæ, in ratione speciei intelligibilis, tum etiam post beatitudinem adeptam, per variâ charismata & dona gratiæ, seu novas revelationes quam accipit Beatus extra verbum, in quibus etiam communicatur Deus novo modo, secundum manifestationem aliquorum effectuum, qui ad ipsum statum beatitudinis ordinantur, ut etiam docet D. Thomas hic art. 6. in responsi. ad 3. ubi ait : *Ad Beatitudinem facta missio invisibilis, in ipso principio beatitudinis. Postmodum autem ad eos fit missio invisibilis, non secundum manifestationem gratiæ, sed secundum quod aliqua mysteria eis revelantur de novo.*

ARTICULUS III.

Virum in missione invisibili, personæ divinæ, ratione gratiæ, fiant specialiter, etiam secundum substantiam suam, præsens in anima justæ

§. I.

Quibusdam præmissis conclusio affirmativa statuitur.

Supponimus ut certum, quod cum mittitur personæ divinæ, non solum dona creata gratiæ, sed etiam ipsæ personæ divinæ & increata nobis dantur, ut expressè docent Magister sententiarum in I. distinctione 14. & D. Thomas ibidem ; Ratioque id suadet. Tum quia Scriptura dicit Spiritum Sanctum esse in nobis ut in templo suo ; quod de donis gratiæ non potest verificari, ut pote cum templum non consecratur

etiam quod fieri potest, per inseparabilem præsentiam, & conjunctionem substantialem; si cognitio & amor, quibus divinæ personæ dicuntur esse præsentem in, anima ad quam mittuntur, sicut cognitum in cognoscente, & amatum in amante, procedant, sicut de facto procedunt, ex perfectissima amicitia, non possunt non esse ibi eo ipso præsentem præsentia speciali simul & substantiali.

34 Confirmatur & magis illustratur hæc ratio ex D. Thoma 1. 2. quæst. 28. art. 1. ad 2. ubi docet, quod amor amicitiae triplicem includit unionem: unam quam supponit, & quæ est causa & fundamentum amoris, nempe unionem similitudinis: alteram quam formaliter facit, sive in qua formaliter consistit; amor enim (ut ait Augustinus) est junctura quædam, duo aliqua copulans, & veluti vitta coccinea, ligans amantem cum amato: tertiam ad quam tendit, & quæ desiderat; & hæc est unio realis quam amans querit habere cum re amata. Unde, ut refert Philosophus 2. Politic. Aristophanes dixit, quod amantes desiderarent ex ambobus fieri unum, sed quia id non possunt præstare, ununtur inter se eo modo quo possunt, per conversationem scilicet, colloquia, & alia hujusmodi. Cum ergo amor Dei sit efficacissimus, & possit assequi quod intendit; ex vi gratiæ & charitatis quam causat in anima, ei unitur, non solum objectivè & secundum affectum, sed etiam realiter & substantialiter: ita ut si per impossibile non esset illi præsens, ratione suæ immanentis, adhuc esset in ea specialissimo & realissimo modo; sicut specialiter & realiter est in Beatis per gloriam, & in Humanitate Christi per unionem hypostaticam.

35 Probatum tertio: in patria ratione charitatis personæ divinæ sunt præsentem animæ justæ, præsentia simul speciali & substantiali: Ergo & in via Consequenter est legitima: charitas enim viæ & charitas patriæ, sunt ejusdem speciei atomæ, quia utrobique tendunt in Deum, ut est summum bonum in se ipso. Antecedens verò est manifestum, cum enim in patria anima per charitatem perfectissimè fruatur Deo; fructu autem perfectissima Dei non sit nisi de Deo possessio secundum ejus substantiam, evidens relinquitur, Deum in patria, ratione charitatis, fieri præsentem animæ justæ, præsentia speciali simul & substantiali.

36 Confirmatur: Visio Beatifica exigit præcisè ratione sui præsentiam Dei, nedum objectivam, sed etiam entitativam & substantialem cum anima: Ergo & charitas, sive patriæ, sive viæ. Antecedens est certum: visio enim Beatifica exigit ratione speciei impressæ, quæ est ejus principium formale, & cujus vicem Deus immediatè per suam substantiam supplet, unionem substantialem Dei cum intellectu Beati. Consequenter verò probatur: Nam, ut ait D. Thomas ubi supra in respon. ad 3. amor est magis unitivus, quam cognitio: Ergo si visio Beatifica, quia est cognitio perfectissima Dei, requirit ex se substantialem Dei præsentiam cum intellectu Beati, à fortiori perfectissimus amor amicitiae, quo Deus hominem justum diligit, exigeret realem & substantialem ejus præsentiam in anima justæ.

37 Dices primò: Amor quo ex divina charitate diligitur proximus, non minus est perfecta amicitia, quam ille quo ex eadem charitate diligitur Deus; & tamen non requirit intimam, realem, & substantialem præsentiam proximi in volun-

A rate, sive anima, ipsum diligentis: Ergo nec illam requirit amor amicitiae, quo Deus ex charitate & gratia diligitur.

Sed negatur consequentia, & paritas: Ratio discriminis est, quia licet Deus & proximus eodem omnino habitu charitatis diligantur, Deus tamen amatur tanquam objectum primarium, & proximus tanquam secundarium: amicitia autem perfectissima non exigit necessario conjunctionem substantialem & intimam, nisi cum objecto primario dilecto.

Dices secundo: Gratia sanctificans, & omnia ipsius dona, sunt speciales effectus Dei: Ergo personæ divinæ non sunt aliter præsentem ratione donorum illorum in anima justæ, quam modo generali, quo Deus ut agens primum est præsentem singulis rebus per suam immanentiam.

Sed nego etiam consequentiam, licet enim gratia sanctificans cum suis donis, considerata in ratione effectus Dei, non dicat aliam præsentiam divinam personarum in anima, quam illam quæ Deo convenit, ratione immanentis, & omnibus effectibus Dei communis est: quia tamen considerari potest insuper secundum quod tribuit animæ cui inhaeret, quod cognoscit & diligit Deum, cognitione & amore ex perfectissima amicitia provenientibus. fit inde, ut præter præsentiam Dei substantialem, in ratione primæ & universalis causæ, exigit insuper aliam quæ est in ratione objecti, intimè quæ ad ipsam entitativam præsentem potentiam.

Alia argumenta solum probant, cognitionem & amorem, quæ non pertingunt ad rationem amicitiae perfectissimæ, non exgere specialem præsentiam rei cognitæ & amatæ in cognoscente & amante: cum quo stat, quod cognitio & amor, quæ sufficienter ad amicitiam perfectissimam, qualis est cognitio & amor Dei, quæ elicitur ab anima existente in gratia, necessario præsentiam illam exigant.

S. II.

Corollaria præcedentis doctrinæ.

EX dictis colligitur primò, præter ceteros modos generales, quibus Deus existit in rebus per essentiam, præsentiam, & potentiam, dari tres alios speciales, quibus sic speciali modo præsentem creaturæ intellectuali, scilicet per gratiam, per gloriam, & per unionem hypostaticam. Tres primi ad attributum immanentis pertinent: alii duo speciales ad invisibiles divinarum personarum missiones spectant: tertius ad missionem visibilis Verbi Divini, quæ in Incarnatione facta est. Per gratiam Deus est præsentem animæ, ut amicus & sponsus, & sicut cogitum in cognoscente & amatum in amante, cognitione & amore ex perfecta amicitia profluentibus, ut antea explicatum est. Per gloriam mentibus Beatorum intimè illabuntur, illique per modum speciei & formæ intelligibilis, mirabili & ineffabili modo unitur, ut in Tractatu de visione Beatifica ostendimus. Per unionem verò hypostaticam Verbum Divinè incarnatum humanitatem eius; per modum substantiæ & personalitatis conjungitur. Unde hæc unio seu præsentia est omnium nobilissima & præstantissima. In justis enim & Beatis Deus præsentem est per dona creata & accidentalia gratiæ & gloriæ: in Christo per gratiam increatam & substantialem. In aliis sic est, ut ipsi non sint Deus per essentiam, sed tantum per participationem.